

super locum eius uerum in signifero ecliptico, minorem autem mediatrici lineæ, quæ duos latitudinum semicirculos disiungit, adapta, mox enim perpendicularum semicirculi pensilis indicabit eleuationem Solis quæsitã, si modo libere dependeat: Nam quotiens ipsum unã cum semicirculo pensili incumbit circulo latitudinis, extremitates regulæ maioris alternandæ sunt, quemadmodum superius monitum est. Pro alijs demum stellis latitudine carentibus, non aliter quàm de Sole præcepimus, operandum erit. Regula enim longitudinis admodum loca uero stellæ perpendicularum ad altitudinem eius indicandam disponet, uerum si stella latitudinem habuerit, maiori quidem regula locum stellæ uerum, ut antehac præmente caput regulæ minoris ad latitudinem suam ponetur, sicq; filum perpendiculari, unã cum linea mediatrice, arcum eleuationis quæsitum intercludent. Quod demum opus cuiuslibet cœli puncto situm certum habenti secundum longitudinem zodiaci atq; latitudinem accommodari potest, tamen si per nullam prorsus stellam occupetur. Huius problematis mirificus uidebitur effectus n̄s, qui quadrantẽ horarium Cylindrumq; & alia id genus solaría fabricari student. Habebunt enim promptas Solis altitudines, quibus maxime egent ad omnes horas minutiasq; horarum, siue ab Ortu, siue à Meridie, siue etiam ab Occasu Solis initium numerationis sumere decreuerint, & id quidem quod gratissimũ atq; abundantissimum est, ad omnes regionũ latitudines, unde nimirum liquet huius operis plenitudo atq; excellentia, siquidem nullo alio instrumento æque faciliter, atq; abunde talia attingi possunt meditamenta.

PROBLEMA DVODECIMVM.

Gradum ascendentem omni hora in omniq; regione, ac deinceps duodecim domiciliorum cœlestium ianuas patefacere.

Pone